

1.
1.
2.
3.
4
5
0
1
1
2
16
1



Witout.

1666.

1. Mauritius, Ericus: De libris juris communis torunqve

usu.

2. Mauritius, Ericus: De judiciis Rotomagensi.

3. Mauritius, Ericus: De aestimatione

4. Mauritius, Ericus: De duellis.

5. Mauritius, Ericus: De S. Cass. Maj' et Imperii

judicio Italico.

1667.

1. Mauritius, Ericus: De origine Electorum et comitis

Electoralibus.

2. Mauritius, Ericus: De Sacri Romani Germanici Imperii

matricula. 2 Exempl.

1668.

1. Mauritius, Ericus: De potestate principis lege regia

et jurisdictione.

1668

2. Trübbeckhorius, Adamus: De ordine Superiorum
potestatum ecclesiasticarum veteris et florentis
ecclesiae

1670.

1. Programm, quo prorector et senatus acad. Kiloniensis
ad triumphum domini reviviscentis paschalem
recolendum cives academicos . . . invitavit

2. Rachelius, Samuel: De jure in genere.

1671.

1. Rachelius, Samuel: Theses et antitheses C. C. ex jure
civili Romanorum juxta seriem Digestorum

2^a, 6^a, c^o Rachelius, Samuel: De constitis Electoralibus. 4 Script.

1671, 1690 1697.

3. Rachelius, Samuel: De aequitate.

1672.

1. Martini, Nicolaus: De successione principum aliorumque
personarum illustrium pactis et anomala, quae fit per con-
fraternitatem. Diss. I.



1672.

2. Wedderkopf, Magnus: De natura juris prudentiae
et statu personarum

Incipit

7.



175

Faint handwritten text, possibly a list or notes.

176

Faint handwritten text, possibly a list or notes.

Faint handwritten text, possibly a list or notes.

177

Faint handwritten text, possibly a list or notes.

Faint handwritten text, possibly a list or notes.

178

Faint handwritten text, possibly a list or notes.



Q. D. B. V.
DISSERTATIO
De

10

ORDINE SUPERIO-
RUM POTESTATUM EC-
CLESIASTICARUM VETERIS
ET FLORENTIS ECCLESIAE

Quam
ductu lectionum publicarum
V. CL.

M. ADAMI TRIBBECHOVII,

Sacrae & Profanae Historiae Prof. Ord.

Facultatis Philos. h. t. Decani

conscripsit

& EODEM PRÆSIDE

PRO CONSEQVENDIS HONORIBUS
PHILOSOPHICIS

ad disputandum proponit

JOH. CHRISTIANUS HASENMULLERUS

A. & R.

In Auditorio Majori,

Addiē Septembr.

KILONI,
Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.



25



Q. D. E. V.

Dissertation

De

ORDINE SUPERIO-
RUM POTESTATUM EC-
CLESIASTICARUM VARIIS
ET FLORANTIS ECCLESIAE

dogmatibus per hunc

V. CA.

M. ADAM RITZSCH

Prof. Phil. & Theol. in Dorpat

1804

& JOHANNES RITZSCH
PRO CONSULEVEVENSIS TORONDI

JOH. CHRISTIANUS RITZSCH
MAGISTER

In A. S. P. P.

The Josephus R...





DISSERTATIO HISTORICA.

De

SUMMIS DIGNITATIBUS ECCLESIASTICIS.

Prooemium.

Observatu digna verba sunt, quibus dilectus noster SALVATOR Ecclesiam suam comparat aciei castrorum ordinatae Cant. VI, 3. *Pulchra es, inquit, amica mea, suavis & decora sicut Jerusalem; terribilis ut Castrorum acies ordinata.* Quemadmodum enim exercitus Supremo Imperatori paret, huic Legati, quos Duces hodie vocamus, Ducibus Tribuni: Ita quoque Unus animarum nostrarum Archiepiscopus & Ecclesiae suae Dominus est JESUS CHRISTUS: (1. Pet. II. 25.) hic *praeferit & constituit per Spiritum Sanctum Episcopos, (Actor. XX. 28.)* quorum alii aliis obediunt, ut olim Apostolis Episcopi & Presbyteri, hisce autem Diaconi. Dein Patriarchis Primates, Primatibus Archiepiscopi. Hisce Episcopi singularum civitatum. Hodie item in Orthodoxa Ecclesia Archiepiscopis sive summis Episcopis aut Superintendentibus Praepositi; Hisce autem Pastores & Diaconi. Ad haec Castra Domini, quae exercitus caelestis ordines imitari Veteres credidere, perlustranda Bonum cum Deo nunc accingor, & faciem eorum, praesertim ut antiquitus & cum maxime floreret Ecclesia comparata fuit, quantum in ista antiquitatis caligine assequi poteram, rudi penicillo delineabo. Ita credo patebit, solum Christum Ecclesiae caput habitum antiquitus fuisse, & Papam non nisi Patriarchalia jura exercuisse, quae ratione nihil ipsi in alias dioeceses licuit, eaque jura nullam omnimodo jurisdictionem canonicam seu legalem (quippe ea penes omnes aut plures Episcopos collectos in Concilio fuit) olim involvisse. Patebit item, quod ista ordinum Ecclesiasticorum ratio, qua

A

qua

quã ut à Patribus acceptã Pontificii immane quantum superbiunt, meri
humani instituti sit, nec ab Apostolis accepta. Unde quid de gra-
visissimis illis controversiis, quæ nos cum Pontificiis, ipsosq; inter se
Reformatos commisere, facile dijudicatu erit. TU JOVA JUVA!

CAPUT I.

De Nominibus Dignitatum Superio- rum Ecclesiasticarum.

- I. Numerus Dignitatum majorum Ecclesiasticarum. *Quis fiat, ut
in illo determinando dissentiant Eruditi.*
- II. EPISCOPUS unde dicatur. *Profanus ejus vocabuli usus. Eccle-
siastica significatio. Usus ejus in S. Scriptura.*
- III. ARCHIEPISCOPUS unde dicatur. *Quando primùm & à quò
usurpata hac vox. Denotavit olim summam dignitatem nec non Pa-
triarchalem. Mox Metropolitanam: dein Metropolitanã minorem.*
- IV. METROPOLITA quando primùm in honore esse cæperit: No-
minis & dignitatis prima origo. *Varia acceptio vocis hujus. An
Patriarcha Metropolita? Primates quoque Metropolita dicti. Un-
de illud acciderit, ostenditur.*
- V. PRIMAS. S. EXARCHUS unde dictus. *Pertexitur discrimen
inter Metropolitanum & Primatem. Τα πρῶτος βῆτα. Prima sedes.
Obiter de Concilio Illiberitano. Primatus ex duplici ratione. Pri-
mates Africa quid peculiare præ cæteris habuerint. Primates ratio-
ne Metropoleos, & ratione Diæceseos distinguendi.*
- VI. PATRIARCHA unde dicatur? *Judaorum Archimystæ hoc no-
mine vocati. Quando primùm vox à Christianis usurpata ostendi-
tur. Primates quoque Patriarcha dicti.*
- VII. PAPA extulit se super Patriarchas. *Nominis Etymon eruitur.
Papa quilibet Presbyter. Omnes Episcopi Papa. Quando primùm
Episcopus Romanus nomen istud sibi vendicavit ex Historiã osten-
ditur.*

Ecclesiasticas dignitates in majores & minores dividi ne-
mo est qui nescit; Nos de Majoribus in præsens acturi
pri-

primùm de numerò & nominibus earum: dein de origine singularum: postmodùm de juribus dispiciemus.

§. I. Numerus dignitatum superiorum apud Scriptores variat: alii namque plures, alii pauciores recensent, idque exinde fit, quoniam non uno tempore, nec in singulis dioccesibus universæ extiterunt. Quinimò non pauci, qui illas computant, non parùm hinc inter se dissident, quoniam illi, quos sequuntur non adeò accuratè singula expedientes, nec adhibentes eam quam parerat notitiam Imperii Romani, cum nomina aliquando confusa cernerent, res ipsas quoq; confuderunt. Isidorus *Orig.* l. 7. c. 10. *Quadripartitum ordinem Episcoporum facit.* Rabanus Maurus l. 1. c. 5. illo longe posterior *tripartitum*, Leo Allatius *de Ecclesiæ Orient. & Occident. perpetua consensione* l. 3. c. 8. de distinctione graduum ita. *Ordo totus hierarchicus apud Græcos est Patriarcha, Metropolita (qui idem dignitate cum Archiepiscopo est) Episcopus*, hinc ad minores descendit. M. Antonius de Dominis *de Republ. Eccles.* l. 3. recenset Patriarchas Primates, Metropolitanos, & Episcopos; quinimò Primates & Patriarchas ferme pro iisdem habet. Carolus à S. Paulo *Geographia S. Proœmio.* Patriarcham, Primates, Metropolitanos & Episcopos in superiori classe locat. Marshamius in *præfatione Monastici Anglicani* ita demum numeratos dignitatum Ecclesiasticarum gradus censet, ut Papa se præponeret omnibus, dein censerentur Patriarchæ, Primates, Metropolita, Archiepiscopi, & Episcopi. Nos ab imo gradu incipientes nominum horum rationes ad summum usque texemus: de Juribus autem & muneribus eorum, quibus inter se distincti fuerunt, capite tertio pluribus dicemus.

II. EPISCOPI vox pariter & dignitas antiquissi-

A 2

ma

ma est, quippe cuius non uno loco in Nov. T. mentio fit, Episcopus Ἐπίσκοπος, si nominis rationem spectes, dicitur ἀπὸ τῆς ἐπισκοπῆς ab inspiciendo idque cum curâ, ita ut hæc inspectio sit pars quædam muneris. Xenophon ubi de Copiis Cyri loquitur: Ἀμφὶ τὴν αὐτὴν οἰκισὺν αὐτὸς ἐφορᾷ, ἕτω δὲ πόρρω λοιπὸν πύξυς πέμπει ἐπισκοπεῖν. Homerus Hectora Trojæ ἐπίσκοπον vocat Iliad. ο. Franciscus Philelphus Regem interpretatur. Sic & l. 18. §. 7. D. de muner. & bonor. Episcopus dicitur, qui præest pani & vino. Athenienses Civitatum præfectos Episcopos vocabant, ut ex Aristophanis Amb. constat. Indi Proreges eodem titulo salutabant, ut est apud Arrian. l. 8. Cicero ipse in hunc sensum vocabulo Episcopi utitur, quando ad Atticum scribit. Quid Pompejus ipsum esse vellet, quem tota Campania & maritima ora haberet Episcopum, ad quem delectus & negotij summa referretur. Eâdem ratione etiam is, qui cœtui divino præest, Episcopus vocatur, sive Apostolus fuerit, sive ab ipsis inter πρεσβυτέρους aut πρεσβυτέρους electus; quâ significatione sacra primâ nondum Episcopi vocabulum, axioma superioris alicujus dignitatis notavit, siquidem omnes illi Episcopi vocantur, qui cœtui divino salutaria DEI præcepta instillant, ut videre est Actor. 20. v. 17. 18. 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. v. 5. 7. 1. Petr. 5. v. 1. 2. 1. Tim. 2. 1. Phil. 1. v. 1.

III. Superior Episcopo habetur ARCHIEPISCOPUS, & primarium denotat Episcopum. Sic olim Ἀρχιερεῖς, Archiatri, Archistrategi &c: cognominabantur illi, qui summô inter Sacerdotes, Duces, Medicos locô erant. Videtur autem aliquibus hæc vox à Græcis manasse primùm, eosq; cum Pontificem maximum aut Vicarios ejus, itemq; sacerdotalium classium primores à Judæis ἀρχιερεῖς dici audirent, idem Patriarchæ Alexandrino, à quo



à quo reliqui omnes ordinabantur, honoris epitheton
addidisse. Et verè etiam primùm hoc Epitheton in Histo-
riâ Ecclesiasticâ Patriarchæ Alexandrini tulerunt; fuitq;
tunc idem penè Patriarchatûs & Archiepiscopatûs auctora-
mentum. Isidorus ad antiquissima hæc tempora respi-
ciens l. 7. c. 12. Originum. *Archiepiscopus, inquit, græcè
dicitur Summus Episcoporum, nam dignitas Archiepiscopalis Pa-
triarchali fuit æqualis, tenet enim vicem Apostolicam, & præsi-
det tam Metropolitanis, quàm Episcopis cæteris.* Qui autem
tituli hujus inter Græcos primùm meminisset, Athanasius
fuit *Apol. 2.* post cujus tempora non Alexandrino soli, sed
& cæteris Patriarchis idem nomen tributum. In Conci-
lio Ephesino (A. 431.) Cyrillus Hierosolymitanus & Cæ-
lestinus Romanus Archiepiscopi plus unâ vice vocantur.
In concilio Chalcedonensi (A. 451.) Patres. ὄθεν ὁ ἀγιώτα-
τος καὶ μακαριώτατος ἀρχιεπίσκοπος τῆς μεγάλης καὶ Πρεσβυ-
τέρης Ῥώμης λέων &c: In Act. III. Conc. Constant: (A. 536.)
*Agapetus dicitur Dominus undiquaque Sanctus & Beatus,
Pater Patrum Archiepiscopus & Patriarcha Romanorum.* Ju-
stinianus item Novell. 123. *Jubemus ut beatissimi Archiepi-
scopi & Patriarchæ b. e. Senioris Romæ & Constantinopolis, A-
lexandriæ &c.* Atque hoc etiamnum inter Græcos obti-
net, ut ex veteri more Patriarchas Archiepiscopos καὶ ἐξο-
νή vocent, quam in rem vide Leonem Allat. l. 1. c. 18. *de
cons. Eccl. Or. & Occ.* Atque sic quidem decursu secu-
lorum Patriarchæ soli Archiepiscopi salutati sunt. Postmo-
dum Metropolitanis idem honoris Epitheton adscriptum fu-
it. Carthaginenses primi fuisse videntur, qui hoc sibi
vindicare ausi sunt sec. VI. uti constat ex Victore Turo-
nensi ad A. 540. 548 Hinc & Rabanus Maurus lib. 1. c. 3.
Ordo Episcoporum tripartitus est, id est in Patriarchis, Archie-

episcopis, qui & Metropolitanis sunt, & in Episcopis. Nec ta-
 men aut hac Rabani, aut superiori ætate omnes Archiepi-
 scopi Metropolitanis fuere, sed habita est seqq. decursu se-
 culis Metropolitanâ dignitate Archiepiscopalis, ut ex
Balsamone constat (apud *Leon. Allat.* pag. 264.) ὡρίσθη
 γὰρ ὡδὲ τῶν ἁγίων πατέρων, τὰς μὲν ἐχέσας διοικήσεις πολ-
 λὰς πόλεις ὑπὸ ἑπισκόπων κυβερνωμένας ὡδὲ Μητροπολιτῶν διε-
 ξάγειν, ἐς καὶ πρῶτος οἱ κανόνες ὀνομάζουσι. Τὰς δὲ μὴ ἐχέσας
 ὑφ' ἑαυτὰς πόλεις τινὰς ὑπὸ ἑπισκόπων ἱσχυομένας, ὡδὲ Ἀρχιε-
 πισκόπων ἱερατεύειν. ὥστε μειονεκτεῖν μὲν αὐτὰς τῶν Μητροπόλε-
 ων, ὑπερερεῖν δὲ τῶν ἑπισκόπων. *A sanctis Patribus est san-*
ctum, ut eæ diœceses, quæ multas habent urbes sub Episcopo-
rum gubernatione constitutas, à Metropolitanis administrantur,
quos etiam ipsi Canones appellant Primos, quæ verò sub se non
habent urbes aliquas Episcoporum regimini subditas, Archiepi-
scopos habeant Pontifices, ut inferiores quidem hæ sint Metropoli-
tibus, at Episcopatibus superiores. Hinc factum ut ex disposi-
 tione Leonis Philosophi apud *Leunclavium Jur. Græc.*
Rom. pag. 88. & pag. 244. Metropolibus Archiepiscopatus
 contradistinguantur, dum sub Patriarchatu Constantino-
 politano numerantur Metropoles LXXXI. Archiepisco-
 patus XXXIX.

IV. METROPOLITÆ vocabulum, si vim vocis
 spectes, eum denotat Episcopum, qui in Metropoli sedet;
 Vox ea non adeò antiqua, quippe quæ legitur demum a-
 pud eos, qui Cyprianò posteriores sunt: Jura autem anti-
 quiora. Illustre indicium Metropolitanæ autoritatis oc-
 currit in Concilii Antiocheni sub Julio (sec. IV) celebrati
 canone IX. τὰς καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἑπισκόπος εἰδέναι καὶ
 τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἑπίσκοπον, καὶ τὴν φρονίδα ἀναδέ-
 χεσθαι



κεδὲ πάσης τῆς ἐπαρχίας. Διὰ τὸ ἐν Μητροπόλει πανταχόθεν συν-
τρέχειν πάντας ἰς τὰ πράγματα ἔχοντας. ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ
προηγείσθαι αὐτὸν; Μηδὲν δὲ πρᾶττειν ὡς λοιπὰς Ἐπισκόπους
ἄνευ αὐτοῦ, καὶ τὸν ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν Κανόνας
&c: Gratianus Hervetus vertit: *Episcopus, qui sunt in una-
quaque provincia scire oportet, Episcopum, qui præest Metropo-
li, etiam curam suscipere totius provinciae, eò quòd in Metropoli
undeque concurrant omnes, qui habent negotia. Unde vi-
sum est, eum quoque honore præcedere, reliquos autem Episcopos
nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut dicit, qui ab initio ob-
tinuit Patrum canon, vel sola (Dionys. Exig. præter ea tan-
tum) quæ ad unius cujusque parochiam conferunt (pertinent)
& regiones, quæ ei subsunt. Unumquemque enim Episcopum
habere suæ Parochiæ potestatem & administrare pro unicuique
conveniente religione, & totius regionis curam gerere, quæ suæ
urbi subest. Ut etiam ordinent Presbyteros & Diaconos & una-
queque cum judicio tractent, & nihil ultra facere aggrediantur
sine Metropolis Episcopo, nec ipse sine reliquorum sententia.
Sic ferè & Isidorus reddit. Dionysius Exiguus enucleatè
magis exprimit ultima ita: *Unusquisque enim Episcopus ha-
beat suæ Parochiæ potestatem, ut regat juxta reverentiam sin-
gulis competentem, & providentiam gerat omnis possessionis, quæ
sub ejus est potestate, ita ut Presbyteros & Diaconos ordinet, &
singula sub judicio comprehendat. Amplius autem nihil agere
tentet præter Antistitem Metropolitanum, nec Metropolitanus
sine cæterorum gerat consilio Sacerdotum.* Hinc duo colligo:
primò quidem prærogativam honoris hóc primùm con-
cilio confirmatam, Jus autem eminentiæ jam olim sanc-
tum fuisse. Vestigium hujus sanctionis extat in Canone Con-
cil. Nicæn. VI, qui ita sonat: *Τὰ ἀρχαῖα ἔδη κρατεῖτω τὸ ἐν*
*Αἰγύπτω**

Αιγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ πενταπόλει, ὡς τὸν Ἀλεξανδρείας Ἐπίσκο-
πον πάντων Ἰούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. Ἐπειδὴ καὶ τῶ ἐν τῇ Ρώμῃ
Ἐπισκόπῳ ἴστω σύνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κτ' τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν
ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζονται ταῖς Ἐκκλησίαις. Κα-
θόλου δὲ πρόδηλον ἐκείνο, ὅτι εἰ τις χωρὶς γνώμης τῆς Μητροπολίτις
γένοιτο Ἐπίσκοπος τὸν τοῖστων ἢ μεγάλη σύνοδος ὡρασε μὴ δεῖν εἶναι
Ἐπίσκοπον. *Isidorus Mercator ita reddit: Mos antiquus per-
duret in Ægypto vel Libyâ & Pentapoli, ut Alexandrinus Epi-
scopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem &
Episcopo Romano parilis mos est. Similiter autem & apud An-
tiochiam cæterasque provincias honor suus unicuique seruetur
Ecclesiæ. Per omnia autem manifestum est, quod si quis præter
voluntatem & conscientiam Metropolitanæ Episcopi fuerit ordina-
tus, hunc concilium magnum & sanctum censuit non debere esse
Episcopum.* Hinc iterum duo colligo, primum quidem
tres primarias Metropoles fuisse, deinde & singularum
provinciarum Metropoles certas fuisse. Quare Metro-
politani quoque duum generum erunt, Primarii scilicet,
quos Universales & Patriarchas vocare solent, dein Pro-
vinciales. Provinciales iterum in duplici differentia e-
runt, alii diocesium integrarum, qui Primates postmo-
dum κατ' ἐξοχὴν dicti, alii tantum provinciæ unius in ali-
qua diocesi plurium provinciarum. Omnibus autem
his commune illud universale jus metropoliticum quod
in ordinatione Episcoporum consistebat. Quanquam
nomen Metropolitanarum vix Patriarchis tributum lege-
rim, nisi huc trahere lubeat modò citatum canonem Ni-
cænum. De jure observandus est *Canon II Concilij Con-
stantinopol: 1.* (celebr. sub finem ferè Sec. IV.) τὰς ὑπὲρ
διοίκησιν Ἐπισκόπων ταῖς ὑπερρεῖαις Ἐκκλησίαις μὴ ἴπνευαι, μη-
δὲ συγγέειν ταῖς Ἐκκλησίαις ἀλλὰ κτ' ἴδὲ κανόνας, τὸν μὲν Ἀλεξαν-
δρεί-

δρείας ἐπισκοπῶν τὰ μὲν ἐν Αἰγύπτῳ μόνον οἰκονομεῖν. Τὰς δὲ τῆς ἀνατολῆς ἐπισκοπὰς τὴν ἀνατολὴν μόνην διοικεῖν. Φυλακιστῶν ἐν τοῖς κανόσι τοῖς κ' Νίκαιαν πρεσβείων τῆ ἀντιοχείων ἐκκλησίας καὶ τὰς τῆς Ἀσιανῆς διοικήσεως ἐπισκοπὰς τὰ κ' τὴν Ἀσίαν μόνην οἰκονομεῖν, καὶ τὰς τῆς ποντικῆς (καὶ τῆς ποντικῆς μόνον καὶ τὰς τῆς Θρακικῆς τὰ τῆς θρακικῆς μόνον οἰκονομεῖν. Ἀκλύτῃς δὲ ἐπισκοπὰς ὑπὲρ διοίκησιν μὴ ὑπιβαίνειν ἐπὶ χειροτονίας ἢ ἡσιν ἄλλαις οἰκονομίας ἐκκλησιαστικαῖς. *Dionysius Exiguus ita vertit: Quæ sunt super Diocesim Episcopi (Metropolitani) nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos, accedant, nec eas hæc præsumptione confundant. Sed juxta Canones Alexandrinus Antistes, quæ sunt in Ægypto regat solummodo, & Orientis Episcopi Orientem tantum gubernent, servatis privilegiis; quæ Nicenis canonibus Ecclesiæ Antiochena tributa sunt. Asiæ quoque diœceseos Episcopi ea solum, quæ sunt in Asiã diœcesis dispensent: nec non & Ponti Episcopi ea tantum quæ sunt in Ponto; & Thraciarum quæ in Thracia sunt, gubernent. Non vocati autem Episcopi ultra suam diœcesim non accedant propter ordinationes faciendas, vel propter alias dispensationes ecclesiasticas. Junguntur hic cum Patriarchis alii quoque Diœceseon Episcopi, qui Primates postea nonnunquam & Patriarchæ dicti. Expressius hæc patent ex Socratis lib. 5. c. 8. verba infra adducemus, ubi de Patriarchis agemus. Hinc factum, ut, quicumque Episcopos ordinabant, lata vocis acceptione Metropolitanis dicerentur. Quare non mirum est Archiepiscopi & Metropolitanæ nomina sæpius confundi, de quò superius egimus: item & Primatis & Metropolitanis. Leo Magnus Epist. 91. ad Theodor. Forojul. quem Primatem salutatur, eundem & Metropolitanum appellat. Sic & Honor Primatus Toletanæ Ecclesiæ concessit, Metropolitanis nominis autoritas in decretis Patrū Synod. Tol. (Sec. VII) vocatur, in edicto autem Gundemari Regis hæc verba leguntur:*

B

Decer-



Decernimus, ut, sicut Batica, Lusitania vel Tarraconensis provincia, vel reliqua ad regni nostri regimina pertinentes secundum antiqua Patrum decreta singulos noscuntur habere Metropolitanos, ita & Carthaginensis provincia unum veneretur Primatem, & inter omnes comprovinciales summum honoret Antistitem. Tom. XVI. Conc. edit. noviss. Paris. pag. 360. 366. Hincmarus item LV. Capp. c. 17. *Metropolitani Primates sunt singuli singularum provinciarum.* Fit autem idcirco, quia in Metropoli ut plurimum ferè honor Primatus erat, unde non poterat non unus ac idem Primas & Metropolitanus esse. In hoc tamen remansit discrimen, quòd Primas strictè loquendo, et si suæ provinciæ Metropolitanus erat, haberet tamen sub se Metropolitanos plures. Quid quòd prima sedes aliquando extra Metropoles erat, ut ex his, quæ de Primate modò dicemus, manifestum fiet.

V. Fuit autem Metropolitanis superior PRIMAS EXARCHVS Græcis dictus. Observatu digna sunt Balsamonis verba in Can. 17. Conc. Chalced. ὁ μὲν τοι Ἐξάρχου τῆς διοικήσεως εἶναι, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἔχ' ὁ ἐκάστης ἐπαρχίας μητροπολίτης, ἀλλ' ὁ τῆς ὅλης διοικήσεως Μητροπολίτης. Exarchus seu Primas diœceseos est, & ut mihi quidem videtur, non cuiuslibet provinciæ Metropolitana, sed totius diœceseos Metropolitana. Clarissimè hæc patent ex subscriptionibus Synodi VI, ubi Philalethes Cæsareæ Cappadocum se Metropolitanum, Exarchum autè Ponticæ diœceseos esse scribit; itemq; Theodorus se Metropolitanum Ephesinum, Exarchum etiam seu Primatem Asianæ diœceseos. Qui in nominibus discrimen Metropolitanis & Primatis rimari volet, illum Ἐπαρχον, hunc Ἐξάρχον dicet. Ἐπαρχου Græcis Præfectus est. Ἐξάρχου Princeps præfectorum. Primatis autem vocabulum Prioritatem denotat, ratione sedis aut alterius alicujus prærogativæ,



gativæ; quam prioritatem Græci vocant τὰ πρῶτα in an-
 tiquissimis Conciliis Nicæno, & sequentibus: Latini Pri-
 matum sedis, & Primatem ipsum seu Exarchum Primæ sedis
 Episcopum. In antiquissimo Concilio Illiberitano (si modò
 antiquissimum est, & non potius conflatum est ex pluribus
 Hispanicorum Conciliorum Canonibus) *Can. 58. Placuit
 ubicunq; & maxime in eò locò, in quò primæ Catbedra constitutus
 est Episcopus, ut interrogentur hi, qui communicatorias literas
 tradunt &c.* Idem nomen dehinc multoties in conciliis A-
 fricanis, aliisq; occurrit. Quoniam autem τὰ πρῶτα seu
 Prioritas diversorum respectu diversa est; hinc, etiam fa-
 ctum, ut Primatus nomen diversimodè usurparetur. Pri-
 ma ætatis ratione Prioritas est. Ex hâc in Africâ Primates
 peculiari quâdam ratione dicebantur, eratq; Provinciæ
 Primas, qui senior erat inter omnes: quod patet ex *Canon.
 Eccl. African. 53. 56. Augustino ep. 217. ad Victorin.* de hoc Pri-
 matu plura *Cap. II.* Dein alia Prioritas seu dignitas est ratio-
 ne loci celebrioris, ut patet ex *Concilii Antiocheni can. 9.*
 (verba §. IV. citavimus) Loci autem ejus celebritas cense-
 tur vel ratione ἐπαρχίας, vel ἐξαρχίας (licaet nunc ita vocare
 quanquam alienò vocabulorum usu) Ratione ἐπαρχίας lo-
 cus is celebrior dicitur, ex quo provincia gubernatur. Ra-
 tione ἐξαρχίας, ex quo integra dioecesis & plures provinciæ
 jussa accipiunt. Ratione ἐπαρχίας Metropolitanus quandoq;
 Primas dicitur, in quâ rem testimonia Latinorum suprâ ci-
 tavimus, cum de Metropolitano ageremus. Græca peti
 possunt ex *Concil. Sard. c. 6. Evagrio Hist. Eccl. l. I. c. IX.* Ra-
 tione autem ἐξαρχίας significatione propriâ demum, quâ ab
 aliis distinguitur, Primas dicitur. Hâc ratione quamvis plu-
 rimi in Africa Primates, qui aliàs Metropolitanî vocati, u-
 nicus tamen καὶ ἐξοχλῶ & verè Primas fuit, nempe Carthage-



ginensis Episcopus, ut videre est ex Cypriani *epist.* 45. Augustino *epist.* 162. & præsertim *Canonibus Concil. Afric.*

VI. Suprema tandem dignitas PATRIARCHARUM expendenda venit, hi Primatum atq; aliorum Episcoporum cum iis lites cognoscebant, de quo jure C. III. Quando in Ecclesia hoc nomen usurpari primum cœperit, non adeò liquet. Græca vox πατριάρχης aut πατρίων seu familiarum, aut πατέρων seu Patrum ἄρχοντα notat. Videtur autem à Judæis hæc vox translata, quibus frequenter in ore Patres familiarum, quos Græci Patriarchas vocabant. Hinc ἔστι Suidas *Æmilii Porti*: πατριάρχης primus alicujus familiae autor, unde alii descenderunt. Et certè Judæorum Archimystris hoc nomen tributum est primis post Christum natum seculis. Honorii autè & Theodosii temporibus abrogatus hic nominis honor iis est, & dempti Patriarchæ eorum codicilli honorariæ præfecturæ *Cod. Theod. l. 16. tit. 8. c. 22.* Unde ex eo tempore Christianorum Antistitum Primoribus vindicatur. Inter Ecclesiasticos scriptores primus Socrates Patriarcharum meminit in *Concilio Constantinopolitano* (A. C. 387.) *Hist. Eccl. l. V. c. VIII.* ἐβεβαίωσαν τε αὐτῆς τῆς ἐν Νικαίᾳ πίστεως, καὶ πατριάρχας κατέστησαν Δαγνευμάτων τὰς ἐπαρχίας, ὥστε ἕως ἰσχυρῆς διοικήσεως ἐπισκόπων τοῖς ὑπερηγίοις ἐκκλησίαις μὴ ὑπερβαίνειν. Τῷτο γὰρ πρότερον Δαὶ τῆς διωγμῶς ἐγένετο ἀΔαφόρως, καὶ κληῖται Νεηάριος μὲν τῆς Μεγαλόπολιν, καὶ τῆς θράκη. Ἡ δὲ ποσειδωνίου διοικήσεως ὀελλιάδιος ὁ μὲν Βασίλειος καίσαρ ἐκ τῆς καππαδοκῶν ἐπισκοπῆς; Γρηγόριος ὁ Νύσσης, ὁ Βασίλειος ἀδελφός. Καππαδοκίας καὶ ἡδὲ πόλις, καὶ Ὀρεηῖος ἔν τῇ Ἀρμενίᾳ μελενῆς, τῆς πατριαρχίας ἐκλήρωσαν. τῆς Ἀσιανῆς δὲ λαγχάνουσι Ἀμφιλόχιος ὁ ἰκονίς &c. *Fidem Nicæni concilii stabiliunt, & dispartitis provinciis Patriarchas constituunt, deciduntq; ut nullus Episcopus relicta suâ diœcesi ad exteras Ecclesias*



clesias demigraret: Nam antea propter persecutionum tempestatem istud facere cuiquam liberum erat. Nectario igitur ampla illa civitas Constantinopolis & tota Thracia sorte obvenit. Pontica autem diocesis Patriarchatus Helladio Cæsareæ, Cappadociae post Basilium Gregorio Nyssa (hæc utriusque etiam Cappadocia) fratris Basilii & Otrejo Melitina, quæ est in Armenia, contigit: Patriarchatum item Asianum Amphiloebius Episcopus Iconii & Optimus Antiochia Pisidia sortito capiunt. Ægypti diocesis Timotheo Alexandria Episcopo tribuitur. Ecclesiarum denique versus Orientem diocesi in idem Episcopi, quia antea, Pelagius scilicet Episcopus Laodiceæ & Diodorus Tarsi obtinent, honoris prærogativâ Ecclesiæ Antiochenæ reservatâ, quam Metetio tunc præsentanti tribuerunt. Itemque statuerunt, ut, si usus postularet, res cujusque provincie Concilium provinciale dispensaret. At verò in canonibus Constantinopolitanis nulla Patriarcharum mentio fit, quæ propter verosimile est, Socratem ex receptâ postmodum consuetudine Primates Patriarchas de suo vocavisse: quin etiam malè accepisse Theodosianam sanctionem l. 3. de Fid. Cath. quod etiam Baronius notat ad A. 381. §. 73. & seq. In Chalcedonensi autem Synodo Patriarchæ prima mentio fit Act. 3. (Tom. VIII. concil. edit. nov. Paris: p. 458.) ubi Leonis Episc. Rom. titulus hic occurrit: τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ θεοφιλεστάτῳ οἰκουμενικῷ ἀρχιεπισκόπῳ καὶ πατριάρχει τῆς μεγάλης ῥώμης λέοντι sanctissimo ac Dei amantissimo & universali Archiepiscopo & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni. Nec Romano soli, sed & Constantinopolitano Episcopo hic titulus defertur in Epistola Episcoporum Mœsiae ad Leonem Imperatorem (inter epistolas Concilio Chalced. subnexas ep. 32. r. ix. Conc. edit. nov. Paris. p. 299.) Per iussionem, Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum, & venerabilis Sacerdotis & Patriarchæ Anatoli &c. Ut adeò mirer, quare



Alexandrinum Episcopum καὶ ἐξοχὴν Patriarcham dictum
Balsamon, Nilus Doxapatrius & Petrus Antiochenus tradant
apud Leonem Allatum p. 262. At certa nondum origo vocis
hujus, quo pactō primū ad ecclesiasticas dignitates si-
gnificandas translata fuerit. Existimārim itaque exinde
Patriarchās primū dictos, quod Apostolos Patres καὶ
ἐξοχὴν appellarent, de quo testatur & inscriptio libri Arabici
vetustissimi, quæ est *Fides Patrum* i. e. Apostolorum, cu-
jus ex Golio meminit Höttingerus *Anal.* p. 318. Qui autem
Apostolicis succedebant, idem nomen sortiti. Primū
hoc contigit in Ecclesia Alexandrina, de quō celebris lo-
cus extat apud Patricidem Alexandrinum Patriarcham in
Historia Eccles. Arabicè conscripta (legitur apud Hotting. l. f. c.)
Constituit Marcus Evangelista cum Hanania Patriarcha (hic
primus è Sutore Episcopus Alexandrinus) *duodecim Pres-*
byteros, qui cum eo essent. Vacante autem sede ex duodecim
illis unum eligebant, cui reliqui deinde undecim manus suas impo-
nentes benedicebant, eundemque Patriarcham designabant &c.
Hinc etiam fit, ut Elmacinus scriptor Arabs, quoties men-
tionem facit aut Alexandrini aut Antiocheni Episcopi, eos
epitheto *ἰσχογιαν* cohonestet. Unde manifestum fit, ex eō
tempore, quō Episcopi Patres appellati, non casu, sed qua-
dam quasi necessitate Episcoporum antesignanos Patri-
archas dictos fuisse. Observandum autem hic est Patriarcha-
rum nomen primitū solis Episcopis Hierosolymitano,
Alexandrino, Antiocheno, Romano & Constantinopo-
litano, dein Primatibus quoque attributum fuisse. De
primāvâ *πρωτεία* videri potest *Can. Con. Nicani VI. &*
VII. De altera illa, qua Primatem seu dioeceseos integræ
Antistitem notat, testantur tum Græci, tum Latini. Socra-
tis verba .I. S. E. c. 8. superius adduximus. Sic & E-
vagrius

vagrius *Hist. Eccl.* l. i. c. IX. ὑποτέθεικε τὴς ἐκάστης διοικήσεως πα-
τριάρχας ἀλλήλοις συμβάνειν, τὴς τε πόλεων ἑπισκόπους τοῖς ἰδίοις
ἐξάρχαις ἐπέσχε. *Statuit, ut Patriarcha cujusq; dioeceseos unâ mēte*
consentirent, singularū verò civitatem Episcopi suis parerent Exar-
chis. Justinianῶ, quos concil. Chalcedonēse ἐξάρχας vocat,
πατριάρχας διοικήσεων appellat L. θεωρίζομεν 29. Ἔ Novell. 6. 7. &
23. Sic & Latini. Hincmarus *LV. capp. c. 17. t. 2.* in primo digni-
tatis Ecclesiasticæ gradu constitutos ait *Patriarchas vel Pri-*
mates, qui duobus his nominibus in uno prioratus funguntur offi-
cio. Sic & Nicolaus Papa Rodolfum Bituricensem *Primatem*
& Patriarcham appellat. *conc. Gall. tom. 3. p. 235. Ep. 39.*

VII. Atque hæ dignitates antiquis in Ecclesia
temporibus summæ fuere. Quod autem in Aristocratia
persæpè usu venit, ut reliquis de sede dejectis unus ad se
summam rerum per apertam tyrannidem trahat, idem
quoque in Ecclesiam malum Præsulum Romanorum am-
bitione irrupit. Dejectis namque de primâ sede Patri-
archis se Dominum omnibus imposuit PAPA atque ita di-
gnitas Papalis in illa Ecclesiæ calamitate suprema tandem
evasit. Quò sidere hæc contigerint sequenti capite expen-
demus. Hic de nomine saltem solliciti erimus. Origo vo-
cis Hebraica videri possit Alexandria audita primùm. Pa-
tricides namque *Hist. Eccl. p. 191.* refert. *Episcopum Ale-*
xandrinum à plebe אבא *Patrem seu Patriarcham appellatū fuis-*
se, cumq; plures dein ab Alexandrino Patriarcha Episcopi ordina-
rētur inq; Patres quoq; vocarentur, Plebem ipsum Patriarcham,
quò à reliquis Episcopis eum discernerent, אבא לן אבא Patrem
Patrum vocavisse. Atque inde à Græcis avum (πάππον) voca-
tum. In quò postremo fallitur Patricides, namque ex Ab-
ba facile Papa & Pappa fit. Quinimò apud Græcos jam
ante



ante vox Papa in usu, ut à Judæis Alexandrinis ejus primam
originem petere non sit necesse. *Homerus Odyss.* ζ. πάππα
Φίλε, ad quem locum *Scholastes.* πάππα προσφώνησις νεώτερος
πρός πρεσβύτερον. Et apud Athenæum l. 8. *Dipnos.* χαιρε πάπ-
πα φίλαλε. Hinc *Suidas:* πάππα καὶ ὅτι πάππα, καὶ τέτα, καὶ
ἄππα, ἔχ' ὁ τροφεύς; ἐν ἀνθ' ἑνός ὄντι, ἀλλὰ προσφώνησις πρὸς
τροφέα καὶ τὸ πάππα καὶ ἰοῦ ἄππα, ἔψιλῶς ὁ πατήρ. ἀλλὰ πρὸς πατε-
ρα σεπλική φωνή. καὶ τὸ τέτα ἑταίρος. ἔτω δὲ λέγειται πρὸς συγκατα-
στάτας ὁ πατήρ πάππας, καὶ κ' ἀναδιπλασιασμόν τῆ Π. πάππας παππά-
ζοιεν πάππα καλοῖεν. *Pappa, Tetta & Appa non est ipse nutritius,*
qui nutrit aliquem, nec est unum pro unopositum, sed est appel-
latio ad nutritium, quâ voce usitur aliquis alloquens eum à quo
nutritur. Et papa & Appa non simpliciter vocatur Pater, sed
est venerationis vox ad Patrem. Et illa vox Tetta est vox sodalis
ad sodalem, & Amici ad Amicum sic autē Pater apud Syracusanos
vocatur πάπας, & per reduplicationem litteræ π. πάππας. παπ-
πάζοιεν Pappa, pappam i. e. Patrem appellent. Aristoph. in Vespis
p. 332. v. 6. παππάζου. Fuit autem non Episcopis solis,
sed & presbyteris Papparum nomen tributum, hinc in Eu-
chologiis antiquis Παπάς Sacerdotē, Ἀρχιπαπάς Archipres-
byterum notat, uti observat. *I. Goar. in Ritual. Grec. p. 298.*
quanquam idem se ratione accentus discrimen invenire
posse putat, existimans, quod πάππας sit *Papa Romanus.*
παππάς autem quilibet olim Presbyter. Mirum autem hoc
nomen, quod illis quoque, qui non erant Episcopi,
commune primū erat, primas in dignitate supremâ signifi-
canda tandem obtinuisse. Episcopi namque mox omnes
promiscuè Papæ vocati sunt, ut eruditè ostendit *Savaro*
in Epistolas Sidonii l. 6. c. 1. apud quem collecta hanc in rem
testimonia plura extant; nos illud *Walafridi Strabonis*
l. 7. de Rebus Eccles. hic saltem annotamus. *Papa cujus-*
dam

dam paternitatis nomen est, & Clericorum congruit dignitas.
Tandem Seculo IX, ut Onuphrius Panvinius memorat in
addit: ad Platinam in Vita Bonifacii III. p. 81.) Auditum est,
ut Papæ nomen, quod omnium vocabulorum Episcopaliū excel-
lentius esse statutum est, solus Romanus Pontifex, cum antè omni-
bus commune esset Episcopis, retineret, quò unò & illi tantum par-
ticulari nomine potestatis ejus dignitas & super cæteras Ecclesias
vetus prerogativa designaretur: cæteri verò quatuor Episcopi
præcipuarum sedium, videlicet: Constantinopolis, Alexandria,
Antiochiæ & Hierusalem Patriarchæ vocarentur &c. Rectè
dicit Onuphrius auditum esse: neq; enim statutum hac
de re ullum invenio in Synodo, quam VIII Generalem vo-
cant, etsi non sine religione E. R. ferè semper ibidem Pa-
pa vocatur, reliqui tantum Patriarchæ. Quinimò Nilus Do-
xapatrius Græcus expressè ita (locus extat apud Leonem Al-
lat. p. 263.) Κοινῶ μὲν ἐν ὀνόματι, πάντες ἐπίσκοποι καὶ ἀρχιερεῖς
καὶ πατέρες καλεῖσθαι, εἴτε μείζους εἴτε ἡττοῦς ἀλλ' ἐκλήρωσαντο οἱ μὲν
τρῆς ἅτοι πατριάρχαι λέγεσθαι πάπαι, ἢ γὰρ πατέρες, πάπας γὰρ ἐρ-
μηνεύειν ὁ πατήρ &c. &c. *Communi itaq; nomine omnes Episcopi
& Pontifices & Patres vocantur, sive illi majores sint sive minores:
sed adepti sunt tres illi Patriarchæ dici Papa, Patres scilicet, Pa-
pa enim notat Patrem, sed & Archiepiscopi dicuntur. Nihilomi-
nus ex usu antiquo id obtinuit, Romanum peculiariter dici Papam,
similiter & Alexandrinum Papam: Antiochenum Patriarcham.*
Tunc autem inventum patellæ operculum est, cum inter
Hildebrandinos dictatus & hæc sententia (Sec: XII) exiret.
*Quod Papa solius nomen in Ecclesiis recitetur. Et Quod Papa
unicum nomen est in mundo: illudq; ipsum in jus, compilante
decreta Gratiano, non diu post transfret. Sed de his seqq.
capitib. plura.*

CAP.



CAP. II.
De Originibus Dignitatum Eccle-
sticarum.

- I. *Controversia de Origine dignitatum. An jure divino distinctio dignitatum introducta. Dissensiones Pontificum & Pontificiorum hac de re.*
- II. *Prima Origo ex Judaica Ecclesia deducitur. Presbyteria Judaica & Christiana. Ordinatiores עֲבָדִים, Christiani Episcopi.*
- III. *Seniores Presbyteriorum dein Episcopos dictos ostenditur, ceterum nullum aeo Apostolico inter Episcopum & Presbyterum discrimen fuisse. Quando factum, ut Seniores Episcopi dicerentur. Senioratus seu Episcopatus qui olim successione, dein suffragiis delatus. Obiter de Hilarii Comment. in Epist. Pauli. Episcopalis splendor.*
- IV. *Origo primariorum presbyteriorum & Patriarchatum in Oriente, versus Meridiem, & in Occidente. Hierosolymitana prima sedes. Ejus sedis dignitas. Antiochena ei sublata successit. Episcopatus Antiochenus à Petro fundatus. Mirum omen in captura CLIII grandiorum piscium Job. XXI. & eodem Episcopatum Antiochena Sedi subiectorum. Alexandrina Sedis prima origo. Romani Episcopatus prima fundamenta à quo jacta. Ex consuetudine Reverentia sedium Patriarchalium. Explicatur canon Nicæus VI. Patriarchatus alii sublatis, alij additi. Nominis dignitas quando ceperit. Judæorum Patriarcha.*
- V. *Primatum Origo. Judæorum Primates. Primatum & Patriarcharum jura olim ferè equalia. Nova Canonis Nicæni VI. elucidatio Ἡσκηνοποιὶ αὐτοκέφαλοι. Primates Seniores Episcopi in Africa & Gallia Quando in Gallia id immutatum.*
- VI. *Quando per omnes Provincias distinctio hac introducta. Constantini cura hac in re. Collatio Magistratum Civilium & Ecclesiasticorum. Obiter de Canonibus Arabicis. Notitia Imperii & Ecclesiarum. Quid possit Majestas in mutandis gradibus dignitatum ex canonibus & praxi ostenditur.*

ET hætenus quidem de distinctione Nominum egimus.
Nunc in primam Originem dignitatum harum pro ingenii
genii

genii nostri modulo ulterius inquiremus, operam daturi, ut Historicâ face, quod instituti tantummodò nostri est, controversias de Hierarchia motas collustremus. Constat namq; diversis hic laborari sententiis, quæ non Ecclesiarum saltem pacem turbavere, sed & Reipub. jugulum quandoq; petierunt. Primum inquiri cœptum, an major Dignitas jure divinò an humanò introducta seu an Episcopus & Presbyter instituto divinò an humanò differat. Postmodùm cum Reformatis compluribus posterius visum fuisset, tam atroces nonnullibi tumultus excitati sunt, ut abrogatâ alicubi omni Episcopis autoritate, seditiosi nonnulli tale introduxerint regimen, quod ad Democratiam, eam quidem, quæ secum ipsa semper pugnat, apprimè accederet. Non libellis, sed bellis crudelibus ac impiis hanc rem in Angliâ gestam, nôrunt; qui superiorum annorum memoriam revolverint. Quomodo etiam Pontificii hanc *de Dignitat. Superioris eminentiâ* quæstionem in rem suam vertant, pluribus declarare vix opus est, quandoquidem vel sola Concilii Tridentini Historia (à Petr. Suave conscript. l. VII.) hujus rei fidem facit, & fervent hodiernum illæ præsertim lites. Quin eo nonnulli processere, ut ipsos majorum dignitatum gradus ex Christi & Apostolorum institutione derivare haud vereantur. *Guiljelmi Altisiodorensis* verba sunt in *IV. tr. 8. q. 1. Si non essent in mundo, nisi tres tantùm simplices Sacerdotes, oporteret, quòd aliquis illorum consecraret alium in Episcopum, & alium in Archiepiscopum.* Sic & Sanderus *de Visib. Monarch. l. 7.* pluribus contendit, superiores ordines succedere Apostolis in pleniori potestate, atq; hac ratione ab Episcopis Archiepiscopum ipsò jure à Christo præscripto & Apostolis exercito differre. Et videntur eadem antiqui urbis Romæ Episcopi prævisse

Leo M. Ep. 88. & Gregor. VII. l. 7. c. 35. Addit se socium Bel-
larminus lib. IV. de Rom. Pontif. c. 25. in fine. & Leo Allatius
l. 1. c. 2. præter hos etiam P. de Marca lib. de Concord. Sacerd.
& Imper. l. 1. c. 3. & l. 6. c. 1. sed cū aliqua exceptione. Verba
ejus sunt: *Hæc est mea sententia circa constitutionem Metro-
leon, quam cum aliqui Petro & Romana Ecclesia acceptam refer-
ri debere censeant, alii ex jure divino descendisse, quidam tamen
ad vetustam Ecclesia consuetudinem referunt. Temperamenti lo-
co esse potest vera sententia, nimirum consilium illud generale di-
stribuendi Episcopatus in Provincias & Metropoles ex traditione
Apostolica esse, cujus clara documenta extant in S. Scriptura sed
executionem, & in tot provincias sectionem ex consuetudine Ec-
clesiastica fluxisse. Queis sanè veriora Carolus à S. Paulo Epi-
scopus Abrincensis profert Geogr. S. p. 15. Quamvis, inquit,
ut Innocentius I. Ep. XIIX. ait, haud conveniens sit, ut ad mobi-
litate mundanarū necessitatum Ecclesia commutetur, honoresq;
aut divisiones patiatur, quas pro suis causis faciendas esse dux-
runt Imperatores, imò pristinus provinciarum mos sit conservan-
dus: Attamen experientia docuit ad civilium dignitatum mu-
tationes, Ecclesiasticas mutatas esse, Imperatoribus sic statuenti-
bus. Nec Ecclesia, quæ Imperatorum patrocinio summè primis
seculis indigebat, id recusavit. Quid quod ipse Leo IX. Ep. 4.
è Politia originem hic non diffitetur. Episcoporum
inquit, ordo unus est, quamvis alii præferantur aliis, sive pro
eo quod primas civitates & magis nominatas secundum potentiam
aut leges Seculi retinent, sive quod Sanctis Patribus pro aliqua re-
verentia sanctitatis aliquod privilegium dignitatis possident. Nam
sicut omnis mundana potestas his gradibus dignitatum à se indivi-
cem distat, id est, ut primus sit Augustus vel Imperator, deinde
Reges, Duces & similes alii Tribuni, ita & Ecclesiastica dignitas
ordinata à S. Patribus invenitur. Nos autem à primâ origine
singula, quantum à nobis fieri potest, retexemus.*

II. Pri-

II. Primitivam Ecclesiam Christianorum Judaicæ Veteris ritus penè omnes imitatam, nemo nisi in antiquâ historia hospes facile negaverit. Certum autem est præter Synedrium magnum, quod Hierosolymis erat, alia quoque minora per urbes & vicos Palæstinæ dispersa fuisse. Seniores illi *ἀνέδοτοι* seu assessores certò ritu (manuū scil. impositione) ad munus hoc aut ab universo collegio jam ordinatorum, aut ab uno aliquo, qui ad hoc deputatus erat, quiq; ob hanc rem καὶ ἐξοχήν ἱεροδοτῆ dicebatur, ordinabantur. Eodem modo regimen primitivæ Ecclesiæ formatum vel hinc satis elucescit, quod in Historia Nov. Test. Presbyterorum s. Seniorum, Presbyterii, itemque impositionis manuum, per Presbyterium aut per Presbyterum unum creberrima mentio fit, Apostoli autem talium Visitatorum sive Ordinatorum munia ipsimet obibant, & constituebant per singulas Civitates Episcopos sive Presbyteros. Quò tamen ipsimet accedere ne quibant, eò mittebant Ordinatores alios, quomodo Paulus Tito *Ep. I. v. 5. 7.* has partes delegat, ut per singulas Civitates constituat Presbyteros, quos & Episcopos ibidem vocat.

III. Sic cum in vivis adhuc essent Apostoli, nullum Episcoporum & Presbyterorum discrimen erat & promiscuè nomina illa usurpabantur, quod ostendimus ex S. Scriptura Cap. I §. 2. & testimoniis Patrum ex omni seculorum memoria id ipsum evicit *Blondellus in Apolog. pro sententia Hieronymi*. Simulac autem Apostoli fato functi erant, qui Presbyteriorū Seniores erant & *πρωτοκλειρονομήτες*, *πρωτοκλειρονομήτες* Decani seu Visitatores & Ordinatores dicebātur, meritò ut Patres reliquorū, quos ordinaverant, habebantur, (vide præsertim *can. 1. Concil. Taunmatensis* sub Siricio celebrati) cumque nemo ipsis major esset, cui quidem obe-

dire cogherentur, id quod Apostolorum fuerat, præscribere scilicet Ecclesiæ, sibi quoque vindicarunt. Atque sic intelligenda illa Hieronymi *ad Evagrium* omnes *Episcopos Apostolorum Successores* esse dictantis. Sed & illud hic observandum, quod licet Apostolico ævo Presbyterorum & Episcoporum commune fuerit nomen, eadem tamen omnium Presbyterorum ratio haud fuerit, cum Senior inter Presbyteros *πρωκαθεδρίαν*, *πρωτοκλησίαν* & sic prærogativam sententiæ obtinuerit. Hinc in proclivi Senioribus hisce fuit non cœtus tantum, sed & Collegarum *ἐπισκοπήν*, & cum illa Episcoporum sibi proprium nomen arrogare.

IV. Hi ipsi Seniores ævo illo, quod Apostolico proximum erat contenti erant *πρωκαθεδρία* suâ, cæterum nullum in Collegas Jus dominationis exercebant sive urbici, sive rustres (*χωρεπίσκοποι*) illi forent Episcopi. Hærebat namque in animis Salvatoris monitum, quo à Pharisæico fastu avocabat discipulos, ipsique Apostoli sedulo cavebant, ne quis *Φιλοπρωτεύων*, qualis Diotrophes (ep. Joh. III. v. 9.) ordines sacros turbaret. Prævidebant namque ut Clemens scripsit p. 57. in I Epist. ad Corinthios: *Ἀπόστολοι Δὲ τῶν κυρίων ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὅτι ἕως ἔσται πρὸς τὸ ὄνομα τῆς ἐπισκοπῆς Δὲ ταύτην ἐν τῇ αἰλίᾳ προγνωσὶν εἰληφόρες τελείαν κατέστησαν Ἰδὲ περιεξημένους.* *Apostoli per Domini nostri JESU Christi revelationem futuram de Episcopatus nomine contentionem.* &c. Mox autem hæc Ecclesiastici regiminis facies leviter nec tamen cum dispendio mutari cœpta est. Decefferant Apostoli & Seniores illi, qui in florentissimis urbibus ab Apostolis inter Presbyteros fuerant allekti; quare cum nova allektorum Presbyterorum non ab Apostolis, sed Senioribus ævo Apostolico posterioribus, ordinato-

dinatorum soboles succrevisset, non jam amplius annorum, sed suffragiorum numeris Senioratus seu *ægna fæderia* assignari cœpta est. Quam in rem Hilarius in Epist. Paul. (non Pictaviensis, sed ætate ei suppar & forsan Sardinus Diaconus Romanus: habetur inter Ambrosii opera) *Primum, inquit, Presbyteri Episcopi appellabantur, ut recedente unò sequens ei succederet, &c: quia cœperunt sequentes Presbyteri indigni inveniri ad primatū tenendos, immutata est ratio; prospiciente concilio, ut non ordo, sed meritum crearet Episcopum multorum Sacerdotum iudicio constitutum, ne indignus temerè usurparet, & esset multis scandalū.* Atq; ita quidem, cū suffragiis hic honor deferri inciperet, major ordinationi & muneris splendor hoc pacto accedebat, ut eum tandem venerari Episcopum dedignarentur, quicumque cum honore nomen pariter & dignitatem tueri haud posset. Huc pertinet Concilii Sardicensis can. VI. *Licentia danda non est ordinandi Episcopum aut in vico aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Presbyter, quia non necesse est ibi fieri Episcopum, ne vilescat nomen Episcopi & autoritas.* Paulò post etiam ibidem: *Si sit tam populosa Civitas, ut MEREATUR habere Episcopum.*

V. Atque sic quidem in Episcopalis dignitatis primam originem inquisivimus, reliquum nunc est, ut quâ ratione superiores reliqui dignitatum Ecclesiasticarum gradus distingui cœperint, ex Historiâ deducamus. Exposuimus modò, quâ Apostoli Presbyteria ad modum Judaicorum in singulis Civitatibus & præsertim majoribus constituerint. Nunc porrò res ipsa loquitur, à Presbyteris istorum Collegiorum Sacrorum ad hoc deputatis, aut à primore eorum per vicos, pagos ac urbes nondum illustratas radiis divini Evangelii alios quoque
Pres-



Presbyteros constitutos fuisse. Hinc contigit, ut hi, qui ordinati erant in locis haud adeo frequentibus ac celebribus, in colendis Presbyteris illis & primoribus, à quibus ordinati erant, patriam sibi constituerent sanctitatem. Huc accedebat, quod omnes illi qui in pagis aut minoribus civitatibus rudes docebant populos à Presbyteris civitatum velut Magistris responsa peterent. Tres autem potissimæ sedes seu urbes & in illis celeberrima Presbyteria fuerunt, unde per tres cultioris orbis partes, Asiam, Africam, & Europam Evangelii præconia diffundi cœpere. In Asia prima sedes Hierosolymitana fuit, unde exivit *Lex & Verbum Domini* Es. II, 3. & tam celebre ibi Presbyterium, ut in contentione Judæorum cum Gentilibus atque aliàs etiam Apostoli eò pergerent ad disquirendum de rebus majoris momenti, de quo præprimis videri poterit Act. XI, v. 19. Act. c. XV v. 2. seq. XVI, 4. XVII. Rom. XV, 25. 31. Gal. I, & II. Breve autem tempus hic Civitatis honor durabat, Judæis namque tumultuantibus cum Christianam fidem professi paulò antè excessissent, urbs in vastitatem à Tito vocata fuit. Accessit Hadriani edictum, quò omnes gente Judæos Palæstinâ prohibebat, quare tunc temporis Patriarchatus Hierosolymitani splendor in cineribus diruta Hierosolymæ ferè sepultus fuit. Huc pertinent illa Epiphaniæ hæc, 70^o c. 10. *Ἐχρῆν τῶν ἐπισκόπων ἐκ περιτομῆς ὄντων ἐν Ἱερουσαλήμ κατὰ τὰ γένετα, τὸν πάντα κόσμον ἰστέοις συνέπεσθαι, καὶ κτ' αὐτῶν ὀπιτελεῖν, ἵνα μία ἦς γένησι συμφωνία καὶ μία ὁμολογία, μία ἐορτὴ ὀπιτελεσμένη.* Cum autem prima hæc Hierosolymitana sedes hoc pacto disturbata esset, non poterat nõ eminere præ cæteris Antiochia urbs florentissima, quamque Apostolici velut arcem sibi quondam constituerant ad convertendas & in sanctæ fidei officio continendas

gen-

gentes, presbyteriō maximē venerabili ibidem constitutō,
de quo in *Actis* c. XI. 19. & c. XIII. Unde & factum ut cre-
dentes hic primū Christiani vocarentur, ut est in *Actis*
c. XI. 26. quos antea Nazaræos & Galilæos dici consuevisse
autor est Joannes Antiochenus (*M. S. Chronol. apud Seldenū*
de Syned. l. I. p. 226.) qui Evodium primum Antiochenum
Episcopum à Petro ordinatum nominis hujus autorem
facit. Dum autem hic de Antiochena sede loquor, non
possum non meminisse ejus, quod de CLIII piscibus à Petro
unā captura præsentē Christo extractis perscribitur in E-
vang: Joh: c. XXI. quod non sine omine contigisse existi-
mant antiqui, siquidem quot pisces majores cepit Petrus,
tot suffraganeos quondā Antiochena sedes habuit. Hinc in
antiqua notitia Ecclesiarum, quam ex Regia Bibliotheca
de promptam edidit *Car: à S. Paulo p. 74.* legitur *Patriarchatū*
Antiochenus antiquitū habuit sub se hos suffraganeos & Metro-
politicos (Catalogus sequitur) centum scilicet & quinquaginta
tres Ecclesias cathedrales. juxta illud in Evangelio. Im-
pletum est rete magnis piscibus CLIII. Atque sic quidem
primarium presbyterium primaque sedes Episcopalis An-
tiochiæ in Oriente fuit, Versus Meridiem Alexandriam,
quæ Ægypti metropolis erat, Christianorum colonia in-
ter primas ex Hierosolymitana urbe ducta fuit. Inter pri-
mos namq; Christianos Judæi quamplurimi Alexandrini e-
rant *Act II 10.* De hujus sedis origine egregius locus ex-
tat apud Eutyrium in *Orig. Alexandrin. & Patricidem in*
Hist. Eccl., qui tradunt Marcum duodecim Alexandriæ or-
dinasse, & inter eos unum aliquem Antistitem Hananiam,
qui primus crediderat; de quo pluribus videri potest *Sel-*
denus comment. in Orig. Eutyrb. Sed ad Occidentem tandem
& ad urbem Romam pergendum. Hujus Ecclesiæ prima
D , funda-

fundamenta quo tempore locata sint, ambigunt Scriptores. Actorum *ultimo* Paulus captivus Romæ multos ad fidem perduxisse scribitur. In Recogniti. Clementis Petrum Clementem in Palæstina hærentem convertisse & cum eo alios quoq; proditur; quinimò Petrū tandem Romam advenisse & Presbyterium ibidem constituisse constans ferè antiquorum sententia est. Nos existimamus prima Evangelii semina Romæ jacta ab illis esse, qui Petri concione haud diu post ascensionē Christi conversi erāt Romani. De quib9 *Actor. c. II, v. 10.* Quæ si cū priorib9 conciliari possint, (de quo jam non disquiremus) fidem merentur illa in Pontificali veteri olim scripta, cum nondū interpolatum esset. *Petrus ordinavit tres Episcopos. Linum, Cletum & Clementem, ex quibus Linus & Cletus præsentialiter omne ministerium Sacerdotale in urbe Roma populo supervenienti exhibuerunt, dum ipse Petrus orationi & prædicationi vacaret, Clementi verò cathedram vel Ecclesiam omnem disponendam commisit.* Quibus ipsis confirmatur antiqua illa Presbyterorum & Episcoporum æqualitas, quæq; de primo Episcopo Romæ lites vigent, fermè deciduntur. A Presbyteris autem Romanæ Civitatis (si Græcorum cū Gallis & Hispanis commercium excipias) totum ferè Occidentem conversum vel me tacente quilibet colligit. Atq; hi sunt tres illi in tribus orbis partib9 (si Ægyptum Africæ adjicias) præcipui Patriarchatus, quos si Apostolica sanctione ad istud fastigium, in quo sequentibus temporibus venerationi fuerunt, evedtos existimaveris, falleris certè, si quidem hæ Civitates matres reliquarum Episcoparum ut haberentur, casus effecit, atq; ut pæ cæteris in honore essent, consuetudo. Sic namq; canon VI Concilii Nicæni: *τὰ ἀρχαῖα ἔσθ' ἡ κρητέριω λαβὲν Αἰγυπτίω καὶ Αἰθίοψ' &c.* Dionys. Exig. *Antiqua Consuetudo servetur* (Isidorus

rus

rus Mercator: *Antiquus Mos perduret*) ut scilicet sint tres sedes Patriarchales & prima, alius utem primis Metropolitibus sua privilegia serventur. Quid quod nullum jus divinum nec traditio Apostolica pro hac eminentia earū allegari queat; id nāq; inde patet, quod Hierosolymitanus Patriarcha eversā Hierosolymā Metropolitæ Casareensi subjectus fuerit, & demum vix ac ne vix quidē nominis honori restitutus in *conc. Nicæno c. 7.* juribus autem Patriarchalibus donatus iterum in *Conc. Chalced. Actione VII.* Constantinopolitanæ Metropolitica primū in *Concil. Nicæno, (v. infra §. 7.)* dein Patriarchalia quoque jura nactus & prælatus Alexandrino & Antiocheno Patriarchis fuerit in *Concil. Constantinop. c. 3. & Chalcedonens. c. 28.* Romano autem ordine postremo (primis scilicet seculis, quibus jura minora, ac reliqui Patriarchæ, usurpavit) postremò omnes tandem posthabiti sint. Quæ fidem minimè dubiam faciunt, hæc ecclesiasticas dignitates ex urbium potius fortuna & Cæsarum arbitrio, quàm Apostolorum scitis splendorem mutuatas. Atque sic quidem liquet V. Patriarchatus in antiqua Ecclesia non nisi occasione ordinationum & consuetudine constitutos fuisse; quo autem tempore §. VII manifestum fiet. Hic illud saltem atteximus, quod Patriarchale nomen pariter ac nominis excellentia post Concilium Nicænum demum in præcipua veneratione esse cœperit: Olim namque Judæorum Archimystris Patriarcharum nomen tributum superius c. I. ostendimus, & videri potest Rescript. Imper. Tit. de Judæis. *Vopiscus* in Saturnino & præsertim *Epiphanius* hæres: XXX. itemque *Juliani* Epistola ad Judæos.

VI. Unde autem, inquis Primatum, Metropolitanarum & Archiepiscoporum prima origo? Quod si iterum hic ad Judaicos ritus respicere licet; apud illos & Patriarchas

chas pariter & Primates reperiemus. In codice namque Justiniani L. 17. tit. *de Judais* Rescriptum hoc Theodosii & Valentiniani extat: *Judaorum Primates qui in utriusque Palaestinae Synedriis dominantur* (legendum est, nominantur, ut vetus lectio & Codex Theodosianus habet, animadvertentibus eruditis) *vel in aliis provinciis degunt, quaecumque post excessum Patriarcharum pensionis nomen suscipere, cogantur exsolvere.* Confer hic omnino consentaneum Epiphani locum haeresi 30. Sed videri possit Imperator nomine Christiano Judaeorum primores appellare. Quarendam itaque aliam rei ipsius originem. Scilicet cum haud diu post adscensionem Christi excitata persecutione Apostoli Hierosolymis eicerentur. *Act.* VIII. v. 1. & XI. v. 19. seseque Caesaream, Ephesum, atque ad alias civitates recepissent, ibidemque quam plurimos ad fidem Christi perduxissent, presbyterium quoque ibidem ad Hierosolymitanum & Antiochenum formam constituere. v. *Act.* c. XXI. & XXI & alibi passim. Quae ergo ratio Patriarchatum, eadem & Primatum seu Metropoleon primariarum fuit, ut scilicet prima Cathedra Provinciae aut dioeceseos ibi constitueretur, ubi Episcopi regionales primo ordinati optimè instrui, & quam commodissime convenire possent. Atque hoc est quod dicitur canone Antiocheno IX. *Episcopos, qui sunt in unaquaque provincia scire oportet, Episcopum, qui praest Metropoli, etiam curam suscipere totius provinciae, eo quod in Metropoli undique concurrant omnes qui habent negotia.* Quapropter Primatum & Patriarcharum jura paria olim fuere. Sic intelligo canonem Nicæni Concilii VI, in quo post verba facta de Alexandrino & Romano Episcopis subjicitur: *Ὁμοίως δὲ καὶ τῆς Αντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεία σώζονται ταῖς ἐκκλησίαις.* *Similiter autem & apud Antiochiam cæte-*



vasque provincias suis privilegia (Primatus) serventur eccle-
siis. Quænam hic provinciæ quæque intelligantur Eccle-
siæ dubitant Viri eruditi. Illustris libertatum Gall. Ec-
cles. defensor *Marca* intelligit hic ex *can. II. Concil. Con-
stant. I.* Dioeceses Asianam, Ponticam & Thracicam earum-
que Episcopos. Causam autem non video, quare hic
ἐπαρχῶν seu Provinciarum quarumvis Metropolitanî &
potissimum Primates, qualis Africa Primas, qui appella-
tionem ad Episcopum Romanum pati nolebat, de quo in
Concil. Carthag. Sec. V. itemque Aquilejensis Patriarcha,
& Mediolanensis Episcopus, à quibus Italicæ dioeceseos
Episcopi olim ordinati sunt *Ep. 82. Greg. I. 6. c. 14.* aliique
honore ipsis pares & *ἀνεξέστοι* seu *ἀνισκέφαλοι* Episcopi ex-
cludantur. Quinimò intelligitur hic ipsa Constantino-
polis, quæ cum antea Heracleæ subjecta esset, unà cum Im-
periali sede metropolitica nacta est dignitatem. Quod
præ cæteris à *Zonara in Constantino* proditur. Atque hæc
quidem de Primatibus Asiæ & quarundam Europæ dioe-
ceseon. Alibi autem præsertim in Africa & aliquando
etiam in Gallia Primatus seu *προαφεία* inter Episcopos
non illi, qui in Metropoli Episcopatuungebatur, sed Se-
niori inter Episcopos de urbibus collectos, itemque ei, qui
alios ordinasset quàm plures, deferebatur. De Africarum
provinciarum Primatibus res extra dubium est, namq; id-
circò cautum *can. 89. African. Ordinatoribus suis continentes Consulem 5 diem, ut nulla altercatio
de posterioribus vel anterioribus oriatur.* & *Leo IX. Ep. IV. In sin-
gulis provinciis Africae antiquitus Primates instituebantur, non
secundum potentiam alicujus Civitatis, sed secundum tempus suæ
Ordinationis, quibus tamen præerat unus, scilicet Carthagi-
nensis Archiepiscopus, qui etiam non incongruè dici potest Me-*

ropolitanus propter Carthaginem Metropolitotius Africa. Confer quæ cap. I. §. V. de Primatibus diximus. In Gallia idem aliquando moris fuit, ut Episcopi eum, à quo ordinati essent, Primatem venerarentur & Metropolitanum. Hinc in Synodo Taurinensi (Anno 397) C. I. Judicatum, ut non tam civitati Masilia, quæ in altera provincia sita, cujus magnitudo ignota, quàm ipsi Proculo Episcopo deferretur, ut tanquam Pater filiis honore Primatus assisteret. Dignum enim visum est, ut quamvis unitate provincia minimè tenerentur, constringerentur tamen pietatis affectu. Hoc igitur ipsum tantùm ipsi in vita ejusdem servabitur, ut in Ecclesiis provincia secundæ Narbonensis, quas vel suas parochias vel suos discipulos fuisse ordinatos constiterit, Primatus habeat dignitatem. Locus admodùm notabilis est, qui confirmat ea, quæ de origine Primatum ratione primorum & celeberrimorum presbyteriorum superius dixim⁹. Sic & Hilarus Episc. Rom. Ep. 8. c. 2. Ordinandorum Episcoporum potestatem ad Antistitem pertinere censet, qui ævo honoris Primas esse dicitur, & quem repererit Episcopalis Ordo Primatem. At verò postmodum Romani Episcopi occasionem captarunt pristinum illum ordinem turbandi, & Pallii missi ostentatione Prioratum primum, dein primatum, cui liberet, deferendi. Gregorius ad hoc facem prætulit Pallio Augustodunensi Episcopo transmissio, quem ita affatur lib. 7. Epist. 112. Ne videamur hujus indumenti munificentiam nudam contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendum, ut Metropolitæ suo per omnia loco & honore servato, Ecclesia Civitatis Augustoduna, cui omnipotens DEUS præesse se voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, & hunc sibi locum ac ordinem ex nostræ autoritatis indulgentia vindicare.

VI. Nunc autem instat, ut, quandoquidem negavimus
mus



mus jure divinò istam graduum distinctionem introdu-
ctam, tempus & occasionem designemus, qui factum
sit, ut tam justus & sibi constans ordo in tot provinciis tot
inter Episcopos & una quidem vice introduceretur, ta-
centibus ad hæc Historiæ Ecclesiasticæ Autoribus. At
suprà jam demonstravimus, quomodo occasione ordina-
tionum à Presbytero in maximis civitatum peracta-
rum & conventuum Synodaliū in magnis urbibus
honor Primatus aut Patriarchatus resederit. Nec enim
integrum tunc erat pressis sub tyrannorum jugo Episcopis
de Primatu contendere, quippe qui summo cum pericu-
lo conjunctus sapissimè erat. Redditâ autem Ecclesiis
pace, tunc cum imperaret Constantinus, eodem modo
Ecclesiasticarum dignitatum gradus, quo civiles, distingi
cœperunt. Etsi enim & antiquiores rationem habue-
runt Metropoleon, ut quemadmodum oppida inde jussa
acciperent, sic & presbyteria disciplinæ regulam; con-
suetudinario tamè illa jure potius quàm positivò sacro con-
tingerant; Constantini autem temporibus, cum provincia-
rum novus initio esset numerus, & Magistratum alius ordo
constitutus, ut *Zosimus* habet l. 2. faciem istius regiminis
imitata est Ecclesia, ita quidem; ut Præfectis Prætorio æ-
quarentur Patriarchæ, Vicariis Præfectoꝝ & dioceseon
Exarchis Primates s. Exarchi ecclesiastici, Præsidibus au-
tem Provinciarum Metropolitanis; Horum Vicariis Ar-
chiepiscopi, & oppidanis demum Magistratibus Episcopi.
Atque hæc ita contigisse vel sola Episcoporum nomina,
qui secundum provincias Consilio Nicæno subscribere,
satis ostendunt. Huc quoque advocandi canones Ni-
cæni Arabici, in quibus multa de Ecclesiarum regimine
habentur, & inter cœtera canon hic XXXIII. Patriarcha
sige

fit in Civitate Regia, ut sit honori ipsi & Regi & aliis simul Presbyteris. Quare ad Constantinopolitanum Episcopum hæc quoque pertinent; quinimò in extremo orbe Romano interque barbaros Novorum Patriarcharum alias ferè incognitorum mentio fit, quæ argumento sunt non omnino canones hosce rejiciendos. Est autem hæc nostra de illis sententia, quidquid alii sentiant, Episcopos, ad quos cura ea spectabat, canones hosce privatim consignavisse, ut justus ubique ordo constaret. Quemadmodum enim videmus in publicis imperii, conventibus privatas quoque lites Principum finire quæ tamen Recessu Imperii, uti vocant, non comprehenduntur; Sic quoque nec canones hi Arabici inter Universales illos XX Canones comparuere. Optandum autem esset, ut incorrupti ad manus nostras canones illi pervenissent, haberemus certè, quod falso creditum aut oblivioni traditum, restituere possemus. Quisquis autè Pisani & Turriani editiones contulerit, & has cum excerptis Seldenianis lib. 2. de Syn. c. 4. ex MScr. in Angliam ex Turcia delato, is spem certæ veritatis facilè omnem abjecerit. Sed hæc velut *ἐν παρόδῳ*. Revertimur ad origines Magistratum Ecclesiasticorum, quos modò cum civilibus contulimus: Totam nunc phalangem ex castris Ecclesiæ per unversum orbe sub Legatis, Ducibus ac Tribunis producerem, nisi illi qui Notitias tam Imperii quàm Ecclesiæ scripsere, isto nos laborem sublevassent: Consulat itaque studiosus horum *Panciralli ad Notitiam Imperii Commentarios* & *Bulengeri de Imperio Romano libros*, & cognitis inde Civilibus Magistratibus ad Ecclesiæ faciem pernoscendam accedat, evolvatq; & notitiis Ecclesiarum. Harum unam habem⁹ ex Biblioth. Vaticana à *Baronio* editam ad A. 1057; alias collegit primùm & edidit *Carolus à S. Paulo Abbas Fuliensis*. Qui ipse

ipse quoq; in *Geographia S.* Notitiam Ecclesiae numeris ferè omnibus absolvit, E Græcis Nilus Doxapatrius eandem materiã persecutus est, cujus excerpta videri possunt apud *Leonem Allatum de Eccles Occid: & Orient. perp. Conf. l. 1. c. 9.* Quisquis itaque eam graduum distinctionem & Episcopaliũ sedium distributionem ex jure divino deducere vellet, is etiam solem in meridie lucere faciliẽ inficiaretur. Quid autem Magistratus Civilis in Metropolitibus constituendis possit vel solus Chalcedonesis canon 17. ostendit. *εἰ δέ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίδη πάλις, ἢ αὐτῆς καινίσει, τοῖς πολιτικοῖς, καὶ δημοσίοις τύποις καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παρρησιῶν ἢ τάξις ἀκόλθεται.* Si qua verò Civitas potestate Imperiali novata est, aut si protinus innovetur, civiles dispositiones & publicas Ecclesiasticarum quoque parochiarum ordines subsequantur. Atq; eundem posteris morè fuisse & Balsamon docet *lib. de Privil. Patriarch: Αυτοκέφαλοι δεχιεπίσκοποι τῆς βουλγαρίας Φηκεῖ καὶ τῆς Κύπρου, καὶ ἑνῶν ὀλίγων μητροπολιτῶν λαβόντων ἀπὸ Φιλομίας βασιλικῆς ἰδικῆς, τὸ τοῦ δικαίου.* Sunt Episcopi quidem sui juris, quales sunt Archiepiscopus Bulgariae & Cypri & alii aliquot, qui hoc jure à Magnificentiã Imperatoris donati sunt.

CAP. III.

DE JURIBUS DIGNITATUM MAJORUM ECCLESIASTICARUM.

Dicendum nunc esset de Juribus Dignitatibus his majoribus annexis; cum autem majus hâc Dissertione unicâ sit argumentum, Apellem imitabimur, qui cum immanem corporis formam adumbrare deberet, pollicem pinxit, & nunc saltem aliquas de his lineas ducemus, ornatum earum uberiores aliunde promittentes.

I. Jura Ecclesiastica Primis Seculis non in Episcoporum aut Metropolitanorum personâ, sed in Presbyterio toto sita fuere. Et nihil

E

absq

absq; Cleri consensu poterat Episcopus: à Clero autem non omnino excludendus populus; siquidem illius quoque magnum jus in Electionibus.

- II.** Metropolitanus aut Patriarcha nihil poterat absq; consensu Provincialium. Confederatâ autem disciplinâ olim regebatur Ecclesia, cum Persecutiones durarent. Postea quoq; Summa fuit penes Concilium autoritas. Idcirco Concilia juxta canones in omnibus provinciis aliquoties convocabantur.
- III.** Constat itaque Ecclesiam instar Aristocratiae gubernatam, quae in majori fastigio erant, executores sententiarum fuisse.
- IV.** EPISCOPORUM jura specialia pro ratione temporum varia fuere. Introductâ jam distinctione inter Episcopos & Presbyteros *περὶ τῆς ἐπίσκοπας* & Ordinationis jus illis fuit. Coeterum quod ratione impositionis manuum, consecrationis &c. itemque in Collegas peculiare illis jus fuit, quae item Regulæ vitæ ac fidei ejus fuerint, id non unius dissertationis argumentum est. *Videatur interim Conc. 1. Carthag. & Concil. Hispal. II. cap. 7.*
- V.** ARCHIEPISCOPORUM (si hanc dignitatem contradistinguas reliquis) vix Metropolitana jura fuere. Caeterum nullos habuere Suffraganeos, in quod jus aliquod exercerent.
- VI.** METROPOLITARUM jus erat Synodo Provinciali praesse, & Episcopos ordinare, jura Magistratum civilium ad eos referre, lites Episcoporum decidere, Visitare Ecclesias Monasteria &c.
- VII.** PRIMATUM jus erat Synodo nationali praesse, Metropolitam ordinare & cum illi litibus impliciti essent, suum cuique tribuere &c.
- VIII.** PATRIARCHARUM, Convocare ad se Episcopos ex diversis Provinciis ad concilium, Primates (sed qui non essent *ἀρχιεπίσκοποι*) & Metropolitam in ordinem cogere. De universalis Ecclesiae statu conferre cum Patriarchis reliquis &c.
- IX.** PAPÆ jura non nisi affectata sunt, imò Tyrannica. Longum foret hic expendere, quomodo obtentu Sardicensis canonis, qui tamen ad necessitatem istius temporis ob ortu hereticam periclitantem restringendus est, nec ab omnibus probatur, ad se jurisdictionem universalem rapuerit; curam Universalem, quae ipsi cum aliis nobilioribus Episcopis communis, in imperium commutavit, Episcopos iuramento sibi obstrinxerit, vestigales eos fecerit, Relationes ad se interpretatæ sit ut Appellationes, quomodo item pallii ostentatione turbavit ordines & jura veterum Episcoporum; Exemerit ab illorum obedientia, quoscunque libuit, Jura Civilia usurparit: Quare hæc materia & affinis de Synodis, communicationibus item Metropolitanis & Patriarchalibus, ex quibus tota REGIMINIS ECCLESIASTICI forma perspicitur, aliis temporibus reservata sit.

DEO SOLI GLORIA.



Ad Præstantissimum Juvenem
**JOH: CHRISTIANUM
HASENMULLERUM.**
De Dignitatibus ECCLESIASTICIS
SUPERIORIBUS
Pro Consequendis Honoribus Philosophicis
disputantem,

Dum Dignitates differis Sacras, digna
Nostri propago portioque Parnassi,
Et vocis istâ dignitate defendis,

Ut Dignitatem consequare supremam,
Quam noster Ordo Seculis tot acceptam
Jam liberali conferet tibi dextrâ;

Tu Dignitatum dignus iste Defensor
Et hanc mereris, & mereberis sacras

Quas nunc recenset infulas, togas, mitras.
Nam (si quid assequor vel auguror Vates)

Sententiis suffragiisque Doctorum

**TU DIGNITATE DIGNUS; ILLA TE
DIGNA EST**

scr:

D. G. MORHOFIUS.

AD VIRUM JUVENEM
DOCTISSIMUM
JOH. CHRISTIANUM
HASENMULLERUM UTHIN:
DE SUMMIS IN ECCLESIA DIGNITATIBUS
disputantem.

DE DIGNITATE MAXIMA
ECCLESIAE TU disputas,
Nimirum Opus *dignum* tuâ
CHRISTIANE diligentia:

*Dignum labore præmium
Pro dignitate Dignitas
ECCLESIAE citò dabit.
Et Dignitatem Ecclesiae
Non infimam Tibi dabit.
Quid? dignitatem Ecclesiae
Non infimam Tibi apprecor.*

ex animo

C. V. Stöcken / Reverendissimi
Episcopi Lubec. Pastor Aulicus.
& Episcop. Superint.

Sic Tibi, mi Fili, nunc crescit adorea, Sacra
Dum mitra frontem cingit APOLLO tuam:
Cingit APOLLO tuam, Te, te Pater ipse coronat,
Et donat studiis præmia vera tuis.

Tu

Tu Domino vivas dignò insignitus honore.

Ac studeas Sophia munus obire Sacra.

Hæc tibi perpetuò, Fili, felicia crescant,

Sic Decus usq; Tuis, sic Decus usq; Bonis.

paterno animo hæc apposuit

Volkmarus Franzius,

Pastor Lensahnenf.

De Maximis Summisq; Dignitatibus

In Christiana Ecclesiâ sub prælo erat

Jam Disputatio, fata à Juveni VIRO

JOHANNNE CHRISTIANO
HASENMULLERIDE.

CVM PHOEBVS hæc cœptaret Arctous loqui:

De maximis qui Dignitatibus potest

Dignè loqui, vel disputare digniùs

Is Dignitate digniore dignus est.

Ergo novis ornate Dignitatibus

Dignum Caput *dignis* HASENMULLERIDÆ

Ornate Nomen honoribus *dignissimum.*

PHOEBI CHORUS surgebat omnis protinùs,

Pars laudibus dulcisq; nectare gloriæ

Mulcere, pars arguta fila pollice

Tra-

Tractare doctō ; cœteri frontem student
Mitrâ Magistrali impedire , & floribus ,
Et annulum digito applicare nobilem ;
Reliquos sed inter ipsa se solertiùs
PHILOSOPHIA offert , & locuta suaviter
Permulta declarat MAGISTRUM publicè.
Tum vota deglomerant Novo Spectantium,
Cœtus MAGISTRO , quos ego inter gratulor ,
Et Augur *immortalis* adsum *Nominis*.

Fridericus Cogelius

Mytaviâ Semgallus.

Jam Sophia doctis ex Archimedis arenis
Trivisti fruges sedulitate tuâ.
Album quin addat lapidem non cessat APOLLO ,
Ut tibi pro meritis pulchra farina detur.
Perge hanc , perge viam , te digna brabea manebunt
Sic Gradus ornabit Te, Tua, Tuq; Gradum.

Ita Præstantissimo nec non Doctissimo Dn. Autori,
Contubernali suo nunquam non fraterno amore
prosequendo applaudere voluit debuit

Joh. Fridericus Müllerus,



ULB Halle

3


005 972 221



10 17







B.I.G.

Farbkarte #13

6

Q. D. B. V.
DISSERTATIO
De

10

ORDINE SUPERIORUM
POTESTATUM ECCLESIASTICARUM VETERIS
ET FLORENTIS ECCLESIAE

Quam
ductu lectionum publicarum
V. CL.

1658, 2

M. ADAMI TRIBBECHOVII,

Sacrae & Profanae Historiae Prof. Ord.
Facultatis Philos. h. t. Decani
conscripsit

& EODEM PRÆSIDE

PRO CONSEQUENDIS HONORIBUS
PHILOSOPHICIS

ad disputandum proponit

JOH. CHRISTIANUS HASENMULLERUS

A. & R.

In Auditorio Majori,

Addiems Septembr.

KILONI,

Typis Joachimi Reumanni, Acad. Typogr.



25

